

iusserat Apollo, statim, si non iusserat, nunquam debuerit ex urbe expelli. Non minus inutile fuit commemorari de oraculo a poeta, si fuit eiusmodi editum, ex quo, utrum retinendus an expellendus Oedipus esset, non posset certo intelligi. Verum enimvero apparet ex tota fabula Sophoclem nullum putasse oraculum editum, quo Creon impulsus esset, ut Oedipum Thebis eiiceret. Primum enim ubi Oedipus exsilii sui mentionem facit, ita de eo loquitur, ut se iniuria et vi expulsum ex patria conqueratur (cf. 427—441.); deinde filios suos, si voluissent, facile perficere potuisse dicit, ut non eiiceretur, sed Thebis remaneret (cf. 441—444.). Neutrum autem dici potuit, si ab Apolline mandatum Thebanis fuisset, ut Oedipum exterminarent. Denique nullo modo probabile est Sophoclem in ea esse sententia potuisse, ut duo secum pugnancia oracula ab eodem Apolline edita esse arbitraretur. Pugnaret autem eiusmodi oraculum, quo iussi Thebani essent Oedipum expellere, cum eo, quod editum expulso Oedipo ab Apolline Sophocles refert, fore, ut Oedipum vivum mortuumque Thebani salutis suae causa expeterent (389 sq.). Quo oraculo commotos Thebanos apud Sophoclem legimus, ut Oedipum arcessendum rursus et, ut in potestate sua esset, in confiniis terrae suae collocandum putarent, quum, quod parricida esset, in ipsam civitatem recipere nollent (cf. 407. 600 sq.).

Itaque manifestum hoc est, Sophoclem, ut Oedipus eo quo eiectus Thebis est tempore eiiceretur, arbitrio et iniuria Creontis, penes quem imperium fuit, factum putari voluisse³⁾. Ac facile quidem apparet egregie id poetam sumpsisse. Ita enim Oedipus et purgatus omnino apparet, quod noluit, quum revocaretur, ad suos redire (590—601.), et multo maiore dignus misericordia, quam si ex Apollinis mandato eiectus Thebis dictus esset.

Neque tamen illud negligendum est, quod Oedipus Sophocleus nunquam id unum Creonti exprobrat, quod se Thebis emiserit, sed hoc tantum reprehendit, quod, quum post detecta scelera sua invitus retentus domi esset, postmodo, ubi versari domi iucundum fuerit, in-

3) Aliter tamen, quod obiter adiicio, de Creonte iudicavit Euripides Phoenissis, qui eum, simulatque occisis Eteocle et Polynice imperium acceperat, in exsilium mittere Oedipum facit, quod remanente eo unquam urbem salvam fore Tiresias negasset, v. 1579 sqq.: τῶνδε δ', Οἰδίπουν, λόγων ἄκουσον· ἀρχὰς τῆσδε γῆς ἔδωκέ μοι Ἐτεοκλέης παῖς σός, γάμων φερνάς διδοὺς Αἴμονι κόρης τε λέκτρον Ἀντιγόνης σέθεν. οὐκ οὐν σ' ἔασω τῆνδε γῆν οἰκεῖν ἔτι· σαφῶς γὰρ εἶπε Τειρεσίας οὐ μὴ ποτε, σοῦ τῆνδε γῆν οἰκοῦντος, εὖ πράξειν πόλιν. ἀλλ' ἐκκομίζου. καὶ τὰδ' οὐχ ὕβρει λέγω, οὐδ' ἐχθρὸς ὦν σοί, διὰ δὲ τοὺς ἀλάστορας τοὺς σοὺς, δεδοικῶς μὴ τι γῆ πάθῃ κακόν. Ceterum constat a Sophocle tradi Creontem statim post detecta Oedipi flagitia imperium Thebarum accepisse et tenuisse etiam tum, quum Oedipus patria expelleretur. Expulso demum Oedipo filii eius sibi arrogandum imperium putarunt secundum Sophoclem O. C. 367 sqq. Erravit Iacobus Quaest. Soph. p. 342., sub Polynicis regno Thebanos iussisse Oedipum ex patria expelli dicens.